



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

131. An donatio facta Ecclesiae on ingratitude Praelati, & Clerici possit
reuocari? Ex p. 8. tr. 6. res. 56.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

tione erunt curiosae quaestiones circa eius reuocationem; & ad titulum quaestiones, respondeo, Quod ingratitudo donatarij facit, vt donator rem donatam reuocare possit, & infra, & sciendum est tamen, vt de don. §. 1. vlt. C. de reu. don. vbi causa ingratitudinis quinque sunt expressae. Prima est, si donatarius donatori manus impias, & violentas iniecerit. Secunda, si iniuriā atroci (verbalit scilicet, vt differat à causa precedente) eum affecerit. Tertia, si graue damnum rebus ipsius intulerit. Quarta, si vitæ eiusdem insidias stauerit. Quinta & vltima, si conuentiones in donatione appositas non impleuerit, de quibus causis latius disserunt Donell. lib. 14. comm. de iur. ciuil. c. 2. ibique Hilliger. in suis not. Petr. Nicol. Mozz. in tr. de don. sub tit. quomodo annullentur, & reuocatur donatio, n. 22. & seq. Et si verò conuinitis DD. Schola opinatur, præter istas quoque modò relatas causas, etiā ob alias similes, siue maiores expressas, iure ciuili rem donatam reuocari posse. Accurf. Cynus, & Salicetus in d. vlt. C. de reuoc. don. Nicol. Euerh. cons. 193. n. 6. Menoch. de arb. iud. quaest. cas. 130. n. 3. lib. 2. cent. 2. Clar. lib. 4. c. 5. §. donatio, n. 2. n. 3. Mozz. d. tit. quomodo annullentur, & reuocatur donatio, §. 8. vers. & sic supra dictis, & Gomez. 1. 2. var. ref. c. 4. n. 14. Bachou. in not. & animadu. ad Treutler. vol. 2. di. p. 9. l. 7. lit. D.

2. Contrariam tamen sententiam tenent aliqui ex sequentibus rationibus. Primum enim Iustiniano Imperatori propositū fuit certae ingratitudinis causas determinare ac definire, ex quibus donatio reuocari possit, hoc §. nostro, in fin. ibi, certis, ex causis. At suo proposito haud satis fecit Iustinianus, si præter istas causas, ab ipso enumeratas, aliae sunt, ex quibus donatio aequè potest reuocari, Deinde satis expresse Imperat. in d. l. vlt. C. de reu. don. cauit, nullas alias ingratitudinis causas, præter quinque ibi recensitas, esse admittendas. Sic etenim scribit. Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas illibatasque manere, si non donationis acceptor ingratu circa donatorem inueniatur, ita vt iniurias atroces in eum eff. indat, & c. His vtrique verbis Imperator regulam proponit de donatione perfecta non reuocanda: cuius exceptionem postea subiungit, causas quinque enarrando, ob quas reuocari queat donatio. Ast omnis exceptio strictè accipienda est, regulamque confirmat in casibus non exceptis, l. questum. 12. §. denique Denarius 4. ff. de instr. & instr. legat. l. 1. ibique Decius n. 21. ff. de reg. iur. Nouel. 7. c. 2. Illud quoque satis innumt particula, ita vt: quae nota sunt definitionis, ac determinationis, vt proinde ex illis releuare propositū, & intentionem Imperatoris fuisse, certas causas reuocandae donationis definire ac determinare, Præterea Iustinianus in d. l. vlt. C. de reu. don. taxatiuè loquitur, vers. in his enim tantummodo causis, & c. Si aliae similes, vel maiores admittendae essent causae, quid opus fuisset causarum enumeratione, aut cur Imperator illam particulam, autummodo, adieciisset, si adhuc alias causas adducere liceret. Et quanquam respondeant dissentientes, particulas taxatiuas & exclusiuas non excludere causas similes, aut grauiores, in quibus eadem, aut etiam maior ratio subsit: id tamen hic locum sibi vindicare nequit quoniam cum particula taxatiua, tantummodo, concurrat, tum propositum Imperatoris, volentis certas causas definire, ceterasque excludere, tum odium d. l. vlt. quae poenam decernit illis, qui in donatorem ingrati extiterint. Odiola autem per se, & sua natura registranda esse patet ex l. si Praes. 2. & l. interpretatio. 4. ff. de pan. item ex c. oia. 1. c. & c. in panis. 4. de reg. iur. in 6.

3. Sed non est recedendum ab affirmatiua sententia, tanquam communi; & in qualibet sententia optime aduertit Rebell. lib. 1. §. 9. n. 9. quod si res donata nondum transit in dominium donatarij, quia nondum est tradita, posse in foro conscientiae donatorem, cessante scandalo, promissum non implere, ob aequivalentes causas ingratitudinis, quia non videtur voluisse se obligare

ad rem promissam, talibus circumstantiis occurrentibus, 4. Aduertendum est tamen hic cum Gomez, Donello, & aliis, quos citat & sequitur Hunnius in Encyclop. iur. p. 3. tit. 26. c. 6. n. 7. quod ex capite ingratitudinis reuocari potest donatio à solo donatore, non etiam ab eius heredibus, quando nempe donator sciuit causam ingratitudinis, & tacuit; secus verò si eum ignorauit. Quod etiam docet ex Theologis Hurtadus disp. 11. diff. 5. Vvadingus tr. de contr. disp. 5. dub. 12. §. 1. n. 15. Dicastillus lib. 2. tr. 5. disp. 2. dub. 7. n. 153. Nvigers de iust. tr. 5. c. 2. dub. 1. n. 38. Lugo c. 2. disp. 23. sect. 1. n. 160.

Sup. hoc in d. in Ref. 131. §. vlt.

Sup. hoc in Ref. 41. §. vlt.

RESOL. CXXXI.

An donatio facta Ecclesiae ob ingratitudinem Praelati, & Clerici possit reuocari? Ex p. 8. tr. c. Ref. 56.

§. 1. M Ouet hoc dubium Vvadingus, tr. de contr. disp. 3. dub. 12. §. 1. n. 2. & sic asserit. Queritur an donatio facta Ecclesiae, ob ingratitudinem Praelati, & Clerici, possit à donatore reuocari: Iulius Clar. supr. 2. 11. refert Panormitanum in c. verum, de condit. & c. quasi affirmare posse reuocari. Sed non loquitur eo loco de reuocatione ob ingratitudinem, sed de donatione sub modo, quam diximus supra reuocari, quando modus appositus fuit tanquam causa finalis, & tamen non fuit seruatus. Romano cons. 284. videtur posse reuocari ob ingratitudinem, saltem durante eius vita; sed communis opinio est, quam ibi recitat Clarus, ob ingratitudinem Ecclesiasticorum, non reuocari donationem, quia, vt dicit, donatio illa facta ob bonum animae donatoris, & principaliter Deo, qui non potest esse ingratus. Ita Vvadingus. Et idè negatiuam sententiam profectus tenendā esse puto, quam tuetur Lessius lib. 2. c. 18. dub. 14. n. 10. Lugo de iust. tr. 2. disp. 23. sect. 2. n. 175. Hurtadus disp. 1. de don. diff. 5. Dicastillus de iust. lib. 2. tr. 5. disp. 1. dub. 7. n. 47. & ex Iuriconsultis Hunnius in Encyclop. iur. p. 3. tit. 26. c. 6. n. 9. & alij penes ipsum.

2. Vnde ex his patet, non bene Fagundez approbare sententiam aliquorum Iudicum. Sic enim asserit, de contr. lib. 4. c. 14. n. 16. Scio ego paucis ante annis vidi sententiam Supremi Senatus Olyssipponensis, in qua reuocata fuit donatio quadam magnae aestimationis, facta cuidam Religioni, propter ingratitudinem Praelati tantum illis, & non Capituli totius Religionis, & puto rectè fuisse latam praedictam sententiam, quia sicut validè licet non licet potest Praelatus praedicare Ecclesiae, & Religioni suae, per non acceptationem legati illi relicti, ita & per ingratitudinem suam: & quia donatio non fit immediatè Deo, sed fit propter Deum immediatè hominibus, hoc est, fit Praelatis ministris Dei, & sic possunt illi validè Ecclesiae praedicio esse per suam ingratitudinem, non licet, quia quod Praelati faciunt, cum sint capita Ecclesiae, & Religionis, moraliter loquendo, toti Religioni, Ecclesiaeque tributus, sicut victoria militum tribuitur Duci, quia caput illorum est: Ita Fagund. sed male. Et idè nostram sententiam, præter DD. cit. tenet etiam Layman lib. 3. tr. 4. c. 12. n. 15.

RESOL. CXXXII.

An donatio ex ingratitudine reuocari possit, non obstante iuramento adhibito non reuocandi?

Et an valeat pactum donationi appositum de non reuocanda donatione propter ingratitudinem donatarij? Et infertur, quod maritus, qui promisit cum iuramento uxorem non accusare, licet adulterium committat, obligatur ad id obseruandum. Ex part. 8. tract. 6. Ref. 57.

§. 1. A Ffirmatiuam sententiam tenet Henric. Bocer. tr. de don. c. 3. n. 29. vbi sic ait. Quaestio est dubia, an valeat pactū donationi appositum, de non reuocanda donatione propter ingratitudinem donatarij? Speculator, tr. de don. n. 5 & plures alij per Tiraq. in l. si